

lubentes concesserint magni nominis exteri:  
unde & mihi, ad hanc præstantissimæ linguæ  
celebritatem erecto, turpe præter cæteros vi-  
debatur nescire ultimam nobilis linguæ stir-  
pem, natales, cunabula, quibúsq; processibus  
in excelsitatem aliis quoque gentibus agnitam  
evecta fuerit. Sed quorsum, quæso, expe-  
riatur quis, quod se assequi posse diffidat? ubi  
locorum quærat? quò inquisitionem suam pri-  
mùm intendat omni Annalium memoriâ,  
quam replicet, destitutus? quomodo denique  
ex mediæ sæculi obscuritate atque ignorantia,  
post tot tantásq; pugnacissimarum gentium  
incursions, excidia, transmigrationes, eruere  
quis valeat quod non turbidæ nec ambiguæ,  
sed puræ liquentisq; sit fidei? Ab hac itaque  
spe depulsus, omnem meam curam operámq;  
ad Theotisca atque Anglo-Saxonica monu-  
menta contuli, rimaturus an aliquod in iis de-  
prehenderem initium inveniendi quod quæ-  
re-

rebam. Cæterū ut in Theotiscis frustra  
operam sumpturum præmonebant sequentia  
Otfridi verba, *Lingua hæc veluti agrestis habetur*,  
*dum à propriis nec scripturâ nec arte aliquâ ullis est*  
*temporibus expolita*: ita majorem spem videban-  
tur ostendere monumenta Anglo-Saxonica,  
peculiaris magnæ Britanniæ thesaurus. Sed  
hîc quoque altum de linguarum Septentrio-  
nalium origine silentium, ut ut manifesta non  
vulgaris eloquentiæ vestigia passim eluceant  
in iis quæ Cædmon monachus; Warnfridus,  
Ælfricus, & Lupus episcopi, nec non inclytus  
Anglo-Saxonum rex Alvredus, aliíq; plures  
posteris reliquerunt. Unicè interim delecta-  
tus cursu & sono rotundi volubilisq; sermo-  
nis, libuit porro experiri an pari sonoræ co-  
piosæq; dictionis structurâ ferrentur illa veteris  
linguæ Gothicæ specimina quæ A° cI° I° xcvi.  
edidit Bon. Vulcanius; ac re totâ penitiùs pen-  
sitatâ, statim sensi tantum interjectum videri